

F 200 100  
S.  
**CHRISTIA  
NAE FIDEI A HVLD-**

**RYCHO ZVINGLIO PRAEDICA-**  
te, breuis & clara expositio, ab ipso Zu-  
glio paulo ante mortem eius ad Regem  
Christianum scripta, hactenus à ne-  
mine excusa & nunc primum  
in lucem edita.



Matth. 11.

Venite ad me omnes qui laboratis & onerati  
es, & ego requiem uobis prestabo.

M. D. XXXVI.

dio, atq; flumina dum perpetuo in mare defluunt & per terræ abyssum refluent, nullum adferunt rebus humanis tedium, sed commodum potius ac gaudium semper rigando letificando ac noua germina fouendo. Bonum quo fruemur infinitum est, infinitum hauriri nequit, ergo fastidium eius neminem potest capere, semper enim & nouum & idem est. Deinde sperandum est tibi uisurum esse, sanctorū, prudentium, fidelium, constantium, fortium, uirtuosorum omnium, quicunq; à condito mundo fuerunt, sodalitatem, cœtum & contubernium. Hic duos Adam, redemptū ac redemptorem: hic Abelum, Enochum, Noam, Abramum, Isaacum, Iacobum, Iudam, Mosen, Iosuam, Gedonem, Samuelem, Pinhen, Heliam, Heliseum, Isaiam ac dei param uirginem de qua ille præcinctuit, Dauidem, Ezecliām, Iosiam, Baptistam, Petrum, Paulum: hic Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Antigōnū, Numam, Camillū, Catones, Scipiones: hic antecessores tuos, & quotquot in fide hinc migrarunt maiores tuos uidebis. Et summatim, Non fuit uir bonus, non erit mens sancta, non fidelis anima, ab ipso mundi exordio usq; ad eius consummationem, quē non sis isthic cum deo uisurus. Quo spectaculo quid lætius, quid amenius, quid deniq; honorificentius uel cogitari poterit? Aut quō iustius omnes animi uires intendimus quam ad huiuscmodi uitæ lucrum? Cum interim so-